



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXII. De Religiosa Vita Fratrum de Balga.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hermannus de Saltza IV. Magister Ord. Teut. Gen.
Hermannus de Balke I. Magister Prussia Provincialis.*

cum omni Domo & familia sua se ad fratres de Balga transtulerunt, de quorum adventu fratres confortati, ædificaverunt molendinum extra Pontem Paludis juxta stratum nunc publicam super quodam flumine, & firmantes illud ad modum castri, reliquerunt ibi duos fratres & multos armigeros pro custodia ipsius. Quod castrum Prutheni postea cum valido exercitu obsidentes expugnaverunt & occisis fratribus & armigeris in cinerem redegerunt.

*An. Domini MCCXL.
Cælestinus Papa IV. &
Fridericus II. Imperator regnaverunt.*

C A P. XXII.

De

Religiosa Vita Fratrum de Balga.

Qualis vitæ Puritas quantaque virtus abſtinentiæ & quantum rigor regularis fuerit disciplinæ inter fratres de Balga & de aliis caſtris prædictis, nemo novit, niſi ille, cui omne Cor patet & quem nullum latet ſecretum. Oratoria nunquam vel raro fuerunt ſine Oratore, nec erat angulus in dictis caſtris, in quo poſt Completorium & preces matutinas non lateret frater aliquis qui (a) virgis affligeret corpus ſuum. Ad caſtrum (b) Engelsberg venerant quidam religioſi Viri, qui dum viderent ſtatum & converſationem fratrum ibidem, quæſiverunt quod eſſet nomen caſtri, quibus dum diceretur Engelsberg i. e. quod mons angelorum vocaretur. Reſponderunt verè nomen habet à re, quia habitatores in eo Angelicam ducunt vitam.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XXII.

(a) Flagellationem ejuſmodi præſcis Ethnicis non fuiſſe incognitam, docemur Exemplo Sacrificulorum Baaliticorum in veteri Fœdere
(1. Reg.

Hermannus de Saltza IV. Magister Ordinis Teut. Gen.
Hermannus de Balke I. Mag. Ord. Teut. Provincialis.

(1. Reg. 18. 28.) Sacerdotum Cybeles, aliorumque. Apud Lacedæmonios Festus erat dies, cui nomen *ἡγμῆσις*, de quo Plutarch. *lib. de Antiq. Lacedæm. instit. p. 239.* Pausanias *in Laconicis.* Tertullianus *in lib. ad Martyres, & in Apologetico cap. 46.* Ab his mos semetipsum flagellandi fluxit, qui tamen in Ecclesia primorū temporum sanctis erat incognitus. Etenim Jac. Gretserus exemplis sanctorum hunc morem comprobaturus, non nisi S. Dominicum (qui Circa An. 1210. vixit) ex antiquitate, producit *lib. 1. de Disciplina Cap. 8.* Allegat etiam Testimonium Petri Domiani (qui circa annum 1080. floruit) *lib. 2. de Discipl. cap. 7.* Concedit etiam Gretserus *lib. 1. cap. 10.* in Græca Ecclesia flagellationum ejusmodi ferè nulla reperiri apud antiquos scriptores vestigia. Quidam putant primos hujus moris auctores fuisse hæreticos, flagellantes dictos, quos exortos esse dicunt An. 1260. ut habet Siffrius Presbyter *lib. 2. Epist. Monachus Padvanus ad an. 1260.* Prateolus hoc ibidem refert ad Gregorii X. Papæ & Rudolphi Cæsaris tempora; Sed ex Dusburgio nostro supra audivimus, tempore Innocentii III. jam Flagellantes esse exortos (circa annum 1210.)

(b) Engelsburg castrum fuit in Culmensi Provincia jam prorsus destructum.

CAP. XXIII.

De

Ædificatione Castri Partegal & propugnaculi Strandonis.

IN terra Warmiensi fuerunt quidam Viri præpotentes dicti (a) Gobatini valdè infesti fratribus, qui congregata multitudine, pugnatorum unum Castrum dictum Partegal, in campo sic nominato, & aliud propugnaculum in monte Strandonis ædificaverunt, munientes ea diversis armigeris. Hi quotidiè fratres de Balga impugnaverunt, sic quod extra Castrum non audebat aliquis de cætero comparere.

O 2

ANI-